



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo Bisvntin. & suffraganeis ejus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

Scriptum est super hoc in eundem ferè modum universis suffraganeis Cantuarien. Ecclesie.

V N I V E R S I S C H R I S T I
fidelibus ad quos literæ istæ
pervenerint.

*Epist. 112.
Meretrices du-
cere in uxorem,
pium & meri-
torium est.
In secunda Col-
leccione & apud
Gregor. Consta-
tio ista tribui-
tur Clementi III.*

Intra opera caritatis quæ imitanda nobis auctoritate sacræ paginæ proponuntur, sicut evangelica testatur auctoritas, non minimum est errantem ab erroris sui semita revocare, ac praesertim mulieres voluptuosè viventes, & admittentes indifferenter quoslibet ad commercium carnis, ut castè vivant, ad legitimi thori confortium invitare. Hoc igitur attendentes, praesentium auctoritate statuimus ut omnibus qui publicas mulieres de lupanari extraxerint, & duxerint in uxores, quod agunt, in remissionem proficiat peccatorum. Datum Romæ apud sanctum Petrum tertio Kalend. Maij, pontificatus nostri anno primo.

ABBATI CLUNIACEN.

*Epist. 113.
Omnes aliena-
tiones Balmen-
sium monacho-
rum revocantur
& ipsi Abbati
Cluniacensi
subjiciuntur.*

Cum à nobis petitur &c. usque ad verbum illud assensu. Venditiones & alienationes qua factæ sunt ab excommunicatis & rebellibus monachis Balmen. Ecclesie Cluniacen. apostolica auctoritate subjectis, irritas penitus nunciamus; districtius inhibentes ne quis eis sub pretextu cuiuslibet obligationis aliquid credere, vel in aliquo obedire præsumat. Præterea feudatos, qui Balmen. Ecclesie fidelitatis juramento tenentur, ab illa fidelitate, quantum ad hoc ut monachos illos contra jurisdictionem Cluniacen. monasterij tueantur, decernimus absolutos. Volumus autem, atque præcipimus, ut tibi vel nunciis tuis fidelitas ab eisdem feudatis & obedientia debita nomine Balmen. monasterij impendatur. Nulli ergo &c. Datum Roma apud sanctum Petrum.

ARCHIEPISCOPO BISVNTIN.
& suffraganeis ejus.

*Epist. 114.
Ut Cluniacen-
tibus ad corri-
gendas Balmen-
ses & subjicer-
dos auxilio sint.*

Cum Balmen. monasterium cum omnibus pertinentiis suis ex culpa & delicto monachorum ejusdem cœnobij Cluniacen. Ecclesie apostolica sit auctoritate subjectum, quia ejusdem monasterij monachi præceptis apostolicis inobedientes & Ecclesie Cluniacen. rebelles existunt, dilectis filiis Comitibus

& Baronibus per Bisvntin. provinciam constitutis dedimus nostris literis in mandatis, ut monachis ipsis rebellibus & excommunicatis exclusis, qui in terris eorum domos habent monasterio Balmen. subjectas, ipsas cum appenditiis suis à Cluniacen. Ecclesia faciant potestate sibi concessa pacificè possideri. Et super hoc venerabili fratri nostro Matifconen. Episcopo per scripta nostra mandavimus, ut Comites & Barones ipsos (si mandatum nostrum neglexerint adimplere) ad hoc per excommunicationis sententiam in personas, & interdicti in terras eorum de nostra fretus auctoritate, cessante appellatione, compellat. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam, quam dictus Matifconen. Episcopus in Comites & Barones memoratos & terras eorundem tulerit, observetis, & faciatis appellatione remota per vestras dioceses inviolabiliter observari. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

EPISCOPO ET PRIORI
S. Petri Matifconensis.

INauditam sævitiam Balmen. monachorum, quam olim in magistrum O. Ecclesie Rom. nuncium præsumperunt idem monachi nequier exercere, discretioni vestre fore credimus non ignotam, cum ex ipsorum nequitia & poena, quam exinde sustinuisse noscuntur, id jam pervenisse credamus ad exterias regiones. Sanè sacrosancta Romana Ecclesie, quæ Ecclesiarum omnium caput est & magistra, licet semper confuevit juxta Prophetam misericordiam & non judicium exercere, tamen quia ex offensa illorum honor prædictæ Ecclesie ladebatur, maximè cum factum fuerit in aperto, ne aliis præberetur materia similia perpetrandi, & ipsi de impunitate possent quomodolibet gratulari, in ipsis juxta excessum eorum sententiam promulgavit. Cum enim Balmen. monasterium per fratres inibi congregatos odore bona opinonis & religionis decor florere debuerit; quia veterem hominem cum suis actibus sequebantur, in peccatis eorum diabolo suadente contabuit. unde tam in spiritualibus quam temporalibus miserabiliter fuerat immunitum. Ceterum cum placuit altissimum ut tantis malis finem imponeret, & locum

*Epist. 115.
Ejusdem argu-
menti.*